

V C
5240



DUOS SAXONIAE SOLES

Vc
5240

Occidentem Alterum, Alterum Orientem ;

hoc est,

BEATISSIMUM DISCESSUM

Serenissimi & Potentissimi Principis
ac Domini,DN. JOHANNIS
GEORGII III.*Ducis Saxoniae, Juliaci, Cliviae & Montium,
item Angariae & Westphaliae, Sacri Romani Imperii Archi-Marschalli & Electoris, Land-
gravii Thuringiae, Marchionis Misniae, ut & superioris ac inferioris Lusatiae, Burg-
gravii Magdeburgi, Principali Dignitate Comitis Hennebergici Comitis Marca,
Ravensbergi & Barby, Domini Ravensteinii &c.*MUNIFICENTISSIMI PATRIAE PATRIS,
HEROIS incomparabilis;

Nec non

Auspicatissimam in Regimine Successionem
FILII GLORIOSISSIMO PROAVI, AVI, PARENTIS
nomine, conspicuiSerenissimi & potentissimi Principis
ac Domini,DN. JOHANNIS
GEORGII IV.*Ducis Saxoniae &c. &c. &c.*

DOMINI SUI CLEMENTISSIMI,

*Die 22. Decembris 1691.*IN ATHENEO LAUBANENSI
subjectissima devotione
humillime prosequuntur
Germani FratresBIBLIOTHECA
PONICKAVIANACASPAR RUDOLPHUS)
ERNEST. GOTTH. ADOLPHUS) de Warnsdorff/
Eqvit. Lusat.

LAUBÆ, Typis Johannis Godofredi Dehni.

DUOS SAXONIAE SOLES

Georgium Albertum Augustum

hoc est,

Georgium Albertum Augustum

serenissimi & potentissimi Principis

de Danubio

D.N. JOHANNIS

GEORGII III.

Ducis Saxoniae, Juliacae, Cliviae & Montanensis

in Augustis etc.

Georgium Albertum Augustum

Mariae Theresiae

HEROZ innotuit

ITEM GEORGII III. POTENTISSIMI PRINCIPIS

serenissimi & potentissimi Principis

de Danubio

D.N. JOHANNIS

GEORGII IV.

Ducis Saxoniae, Juliacae & Cliviae

DOMINI sui CELESTINI ISIDORI

Georgium Albertum Augustum

in Augustis etc.

Georgium Albertum Augustum

HEROZ innotuit

ITEM GEORGII III. POTENTISSIMI PRINCIPIS

serenissimi & potentissimi Principis



Perillustribus
DUCATUS GORLI-
CENSIS
ORDINIBUS PRO-
VINCIALIBUS,
VIRIS

*Perillustribus, Generosissimis, maxime Reverendis
Strenuissimis ac Nobilissimis*

PATRIÆ PATRIBUS
gravisimis,
PATRONIS OPTIMIS
Maximis.

Patroni,



*D*uplici modo audacia nos accusari posse videmur;
primò quòd, specimen studii Oratorii cum fuit
edendum, nobis Themata delegimus, quibus per-
tractandis vel disertissimus non sufficit Orator;
deinde quòd, quæ tandem hesitans nostra lingua
intra Scholæ parietes utcumq; proferre potuit, nunc publicis typis
exscripta NOMINIBUS Vestris splendidissimis sacra esse volui-
mus. Ast utrumq; justâ potest defendi excusatione. Omnes
lugent jam Serenissimum Patriæ Patrem, morte prematurâ
ereptum; omnes jam mille etiam votis excipiunt hujus jacturæ
Compensatorem, Serenissimum Nutritium novum, favore DEI
Patriæ concessum. Publicam hanc Devotionem imitata est
nostra Pietas. Balbutivimus quidem tantum; fecimus tamen,
quòd omnes filios decet, qui in publico Parentum clamore, si vo-
ces non possunt, sonum tamen referant. Non nisi jejuna,
fatemur, proferre potuimus, ut solent homines infirmæ ætatis;
nolui-

noluimus tamen tacere, cum vel tenuissimum sacrificium Heroicis Patria Defensoribus non sit denegandum. An ea civium unicè laudatur fidelitas, qui tributorum necessitatem auro vel argento redimere consueverunt? nonne hos etiam genuinos Patria filios agnoscimus, qui urgentibus belli necessitatibus, pro facultatum modulo plumbi, ferri, straminis & graminis copiam comportant? Vobis autem, Patroni Optimi, pagellas has dicatas voluimus. Vos enim estis Patria nostrae perillustres Stella; ergò quicquid de Serenissimo ejus SOLE jam scribitur, meritò ad lucem vestram properat. Vos estis omnis infirmitatis praesidium; ergò oratiunculis nostris, cum sint sine verborum robore, non nisi in Vobis esse potest refugium. Vos estis Musarum Deliciae & Patroni; ergò nos, eas qui sectamur, Gratiae Vestrae fores, jam pulsare incipimus. Admittite nos, & conatui nostro gratiosè favete. Faxit DEUS, ut cum felici novi Anni exordio, novâ felicitate crescatis, diuq; ejusdem incrementa sentiatis augeri!

Per-illustr. Generos. V. V. Nominum

Laube Kalendis Jan.
M DC XCII.

Observantissimi & Obedientissimi
Cultores

CASPAR RUDOLPHUS
ERNEST. GOTTH. ADOLPHUS) de Warnsdorff.

Inclutæ

Incluta Civitatis Laubanensis

Patronis & Civibus Litteratis

S. P. D.

M. GEORGIUS WENDIUS,

Lycei Lauban. Rect. & Inspect.



*Pluribus Orientem, quàm Occidentem, Solem adorari, in litterali pariter ac mythico Sensu verum est. Erant omnino olim inter gentiles, erant, qui, cum Solis Astrum certatim inter deos referretur, vespere quoq; ad Occasum conversi, eundem velut deum salutabant; sed isti vel rari admodum erant, vel certe non majorum gentium. Quibus ex adverso orientem religioso Cultu venerari visum fuit, ii totum propemodum terrarum Orbem complebant. Persæ Mithræ, Ægyptii Osiridis, Emesseni Elagabali, Græci Apollinis, alii alio, nomine eundem colebant, surgentiq; , ut arbitrabantur, ex Oceano vel in antris, vel juxta fontes sacra faciebant, id agentes serio, ut felicitatem, à matutino Sole quasi solo exorabilem, ritè consequerentur. Ita Hildebrandus, Antiquitatum Ecclesiasticarum Promus Condus multò laboriosissimus, in Rituali Orantium; (cap. i. §. ii. p. 10.) *Erat apud Ethnicos Solis, præsertim Orientis, cultus creberrimus, quemadmodum, etiam inter Judæos multi erant Heliognostici & Solicola, imprimis summum Numen apud Persas Sol erat. Reperies gentes, quæ omnimanè Solem ex abysso Oceani cum Aurorâ prodeuntem devotissime adorarunt, sed Solem Occidentem diris gravissimis devovebant. De Cyro autor est Xenophon, Apis illa Attica, l. 8. Cyropæd. quod omni manè sub Ortum Solis sacros currus protrahi, & equos splendido Orbi solari orienti mastrari fecerit &c. Conferatur Alexander, ab Alex. lib. 4. Genial. Dier. c. 17. p. 224.**

Qui porrò Civili ritu Principum Secularium assurgunt Soli, ii similiter (juxta mythicum Adagii sensum) ut plurimum ad orientem in Republica Solem respiciunt. Nemo Politicorum, ceu nostis, reclamaverit, in juniorem quoq; , præsertim si paria, vel etiam majora, ac senior, ostenderit merita, in regno, ubi electioni locus est, devolvendum esse Imperii Axioma. Et si enim Caput, non pedes, regunt, interest tamen nonnunquam ad Salutem publicam, opportunum opportunorum Consiliorum habere Executorem. Celeritas Executionis, maximoperè in bello, est anima Consilii. Nescio tamen, an satis benè faciant, qui, omisiss aliis, ad ætatis potius florem, quàm meritorum honorem; ad novitatis, magis quàm Utilitatis, Studium, oculos animumq; ferè semper intendunt. Immemores enim isti, ab

B

umbrâ

umbrâ Senum interdum ampliora expectanda esse, quàm à gladio Juvenum, non rarò præ Rege multarum rerum usu exercitato Regem jejunum eligunt. Persuasi, Statum Reipublicæ præsentem semper molestum esse, novum subinde & Regimen, & Regem anhelant. Ignari, Ciconiæ directorio (juxta Æsopi effatum) præferendum esse Ligni præsidium, cum ranis improvidis sæpe numero truculentum benigno Principi præferunt. Non universi singuli Juvenes, quis neget? à Fortitudine; nec universi Senes à prudentiâ sunt commendabiles. Est sua quandoq; & Juvenibus prudentia, est sua & Senibus Alacritas animi. Quasi tamen cuncti juvenes prudentes, nulli Senes animosi essent, ita passim hi illis cedere, illi his succedere, jubentur. Quis prohibeat? Vulgus non, quid factum sit olim, sed quidnam in præsens fiat aut fieri conveniat, unice uniceq; intendit. Est præterea cuius homini, scribit alicubi Erasmus, sua Vespera, quæ simul atq; advenerit, tunc juventæ gratia in tædium vertitur. Exempla rei passim exhibet Terrarum Orbis, in primis Roma. In delitiis aliquando præ Cinnâ erat Pompejus, præ Pompejo J. Cæsar; sed ad certum temporis spatium. Sol oriens colebatur, occidens negligebatur. Quamdiu Pompejus M. juvenilium annorum decorem insignium facinorum coronabat gloriâ, emergentis instar Solis à cunctis ferè Romanis mirum quantum extollebatur: quamprimum autem ingravescente jam ætate meritorum quoq; exoleſcebat dignitas, occidui idem expertus fata, J. Cæsari palmam porrigere necesse habebat. Et sic hodie quoq; in Orbe luditur.

Apud nos in Lusatiâ, si quid mihi creditis, utrumq; observamus. Nemo suspicari præsumat, creati quoq; SOLIS à nobis revocari Cultum. Qui enim, ut omnem, ita Delii quoq; Hyperionis, Phœbi, Titanis, Apollinis, &c. Idololatriam jam pridem ejuramus, Solis unice Dominum, non Solem ipsum; Justitiæ, non Firmamenti, Solem religiosâ pietate colimus. Observamus utrumq; , in mythico, non litterali, allegatæ superius Parcemiæ sensu, Civilem Principum Solem civili adoratione in utraq; Horizontis statione prosequentes. Qui & præterita Bona, ut par est, gratè agnoscimus, & futura quoq; indubitato nobis pollicemur, OCCIDENTEM nuper in Saxoniâ SOLEM, *Serenissimum olim atq; Potentissimum Principem ac Dominum Dominum, JOH. GEORGIUM III. Ducem Saxonie, Juliaci, Clivie & Montium, item Angariae & Westphaliae, Sacri Rom. Imperii Archimarschallum & Electorem &c. &c.* et succedentem ipsi jam ORIENTEM SOLEM, *Serenissimum item ac Potentissimum Principem & Dominum Dominum, JOH. GEORGIUM IV. ejusdem illustrissimæ Dignitatis & Felicitatis Principem-Electorem; Principem ac Dominum nostrum longè clementissimum,* quanto quidem fieri potest, humillimo Cultu excipimus. Veneramur *Occidentem*, quia illuminavit; veneramur *Orientem*, quia illuminare decrevit: Veneramur Serenissimum PATREM, gloriosæ memoriæ, quia insignia prorsus Patriæ suæ exhibuit Merita: Veneramur Serenissimum FILIUM

quia familia præclarè exhibere parat. Inprimis idem unà nobiscum
 intendit nobile par Fratrum Lufaticorum, Caspar, Rudolphus &
 Ernestus Gothardus Adolphus de Warnsdorf, Generosi ac perquam
 Strenui Dn. GEORGII CASPARIS DE WARNSDORF, Toparchæ
 in Schreibersdorf, Filii nati minores; qui, quoniam in Sole Saxo-
 nico aliquando apricari constituerunt, suasu Patronorum quorun-
 dam crastinâ C. B. D. Luce ita gemino huic assurgent Soli, ut
 alter quidem *Occidentem Parentando*, alter *Orientem Gratulando*,
 decentissimè concelebratum eant. Quod igitur privatim egi-
 mus, publicè quoque nunc agamus. Quod Adolescentes, à nobili pro-
 sapiâ Juxtim, ac egregiâ animi Culturâ, commendandi, publicâ
 & Solenni Voce; idem Patroni & Cives nostri Litterati, per
 has Patentes decenter jam à me invitati, devotissimo applausu
 præstabunt, sub Finem Sermonum piè exclamaturi: *Requiescat*
in Pace Incomparabilis Heros Saxonicus, JOHANNES GEOR-
 GIUS III! *Vivat in multos annos indulgentissimus Successor*, JO-
 HANNES GEORGIUS IV! *Vivat!* P. P. Laubæ a. d. XXI.
 Decembr. quo ipso die per universas Terras Saxonicas Patri
 Patriæ, Pio, Felici, Magnanimo, publicè imus
 Exequias. Anno O. R.
 M. DC. XCI.



B 2


ORA.



ORATIO PRIMA.

AUDITORES.

FAmiliare Principibus Solare Sidus esse, constat. Sol motus reli-
quorum siderum, constituta dimensione moderatur, & ipsos
stellarum ignes collustrat: Est sanè & Princeps Ductor po-
puli sui, qui tum gloriosissimè regit, cum serenissima virtu-
tum Luce ILLUSTRIS, quæ sequendum Suis sit, ostendit. Sol, qui
indefessâ & assiduâ revolutione indies ambit & maris & terræ fi-
nes, vibratis radiis inde nivem & aquam glacie induratam dissolvit,
hinc herbarum florumq; vires recreat: Princeps omnibus terra-
rum suarum dum illucet finibus, gratiam & pœnas, supplicia &
beneficia ita dispensat, ut quæq; suis meritis ac demeritis ex æquo
respondeant. Ille vices temporum annorumq;, novo semper
flore redeuntis, ex usu Naturæ temperat, ejusq; partes ita dividit,
ut inter se non secus ac in choro, nectantur: Hic ad omnia tem-
poris momenta suum ita componit regimen, ut æquo semper te-
nore quies atq; securitas Suorum constet; tanta prudentia instructum
gerit animum, ut continuè regiam mediocritatis viam decurrat.
Hæc dum agit Princeps, firmissima Majestatis suæ fundamenta ponit,
quæ celsissimo inter Suos positus loco, terras omnes, ac, quicquid
infra se despicit, splendidissimis illustrat radiis, dumq; Sole ipso
illustrius refulget, admirationem omnium & amorem experitur,
quos beneficentissimo influxu animat atq; fovet. Ast occa-
sus cum imminet huic Soli, fatali necessitati cum ipse immer-
sus mortis involvitur nocte, quid Subditi? Lugent, conquerruntur
& fatorum iniquitatem accusant. Scitis, Auditores, quàm sem-
per hominum animus, cœli sequatur temperiem, ita, ut ab hujus
sive luctu sive gaudio suos ordinet affectus. Hinc quæ facies pro-
vinciarum sub *Aulæ*, Politici sui Cœli, & sub Principum, celsissimo-
rum suorum *Siderum*, nubilo sit, non est, cur quis quærat. Nim-
brosa est atq; lachrymarum squalens imbribus, imò nunquam tan-
tâ caligine Cœli immersam faciem credo, quanto tunc luctu fra-
ctisq; Suspiriis omne subditorum turbatur gaudium. Et ea fors
revera quoq; jam est nostræ Patriæ, quæ *Serenissimo & Potentissimo*
Principi ac Domino, Domino JOHANNI GEORGIO III. Duci Saxo-
niæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, item Angariæ & Westphaliæ, Sacri
Romani Imperii Archi-Marschallo & Electori, Landgravio Thürin-
giæ, Marchioni Misniæ, ut & superioris & inferioris Lusatiæ, Burg-
gravio



gravio Magdeburgi, Principali Dignitate Comiti Hennebergico, Comiti Marca, Ravensbergi & Barby, Domino Ravensteinii &c. Domino ac Nutritio suo Munificentissimo, nunc beatissimo, hesterno die, proh dolor! novissimum publicæ Devotionis Cultum præstitit. Optimus enim iste PRINCEPS, quod Sol terræ universæ est, suis omnino fuit Ditionibus. Hinc ubi Serenissimus SOL iste mortis nocte jam obrutus occidit; subditi omnestrictitæ tenebris & luctu nubilis involuti, diem, quo SIDERIS istius occasui justa fuerunt solvenda, funestum, atrum atq; omni nocte obscuriorem deprehenderunt. Ita enim obscurata publica lætitiæ Luce, tristis privatorum est facies.

Quemadmodum verò terra Soli nullas omnino offerre potest gratias, quibus beneficia singulis momentis demissa queant exsolvi: ita PATRI PATRIÆ nostro, SOLI illi & felicitatis publicæ Autori, pro tantis imperandi, custodiendi, defendendi præmiis gratia à Subditis nulla potest referri. Interim remunerationis aliquam speciem subjectissima illa exprimere videtur Pietas, quæ Solem Terris ereptum, Principem nimirum suum Clementissimum æterna devotissimæ memoriæ veneratione colit, & quocunq; fieri potest modo, ipsi cultum defert solennem. Proinde cum nunquam felicius Oratorum desudet industria, quàm in DEI supremi Regnorum Assertoris Bonitate, optimorumq; qui felices hujus existunt æmulatores, Principum prædicanda Clementia, ego cathedram hanc conscendere jussus, à splendidissima hujus Auditorii pietate ac devotione minus me abiturum confido, si JOHANNEM GEORGIUM III. beatissimæ memoriæ, contemplandum introduxero. Nam ad illum Serenissimum Solem orationis meæ respexit initium, Eundem, quæcunq; porro mea proferre poterit lingua, unice spectabunt. Non quidem Tanti Sideris delineationem mea jejuni oris exhibebit infantia, cum vel excellentissimi Oratores illud non audeant, optime nimirum gnari, quod, sicuti Solis splendorem nemo nisi Sol ipse, sic Principis magnitudinem non nisi ipse Princeps possit delineare: sed tamen, ut aliquod subjectissimæ observantiæ meæ documentum exhibeatur, licebit Solem Patriæ nostræ Serenissimum admirari, & inopinatum ejus OCCASUM luctu devotissimo prosequi.

Tollite itaq; mecum oculos, Auditores, & intuemini Saxonicum illud tot lucidissimorum Siderum Cælum, in quo, quicquid occurrit, suo splendore est illustre. Videte, Sol, qui sua nos luce hætenus constanter fovit, minatur occasum. Sol, à cujus præsentia gens nostra animum hausit atq; Spiritus, jam ultima vice terras has collustrat, atq; discedit, non reversurus ad nos. O probeamus nos similes Heliotropio, & Solem nostrum usq; ad occasum sequamur. Nolite quærere, quorsum properet? Versus Occidentem fertur. Ut enim hanc Cæli plagam, Sol, mundi oculus, cum suum conficit orbem, petit; sic etiam Princeps iste magnus, qui Solis vice nobis fuit, ejusq; benignitatem expressit in vita, cum Sole communem merito experitur occasum.

Ad ortum Ejus qui respicit, Familiam deprehendit, quæ omnem scriptorum ætatem superat, quæq; cum sum-

us reli-
& ipsos
tor po-
virtu-
Sol, qui
rræ fi-
ssolvit,
terra-
licia &
æquo
emper
dividit,
a tem-
per te-
uctum
currat.
ponit,
vicquid
le ipso
eritur,
t occa-
mersus
runtur
m fem-
o hujus
es pro-
ssimo-
Nim-
m tan-
u fra-
ea fors
tissimo
i Saxo-
, Sacri
hürin-
Burg-
gravio

summis in Orbe Europæo Sangvinibus de Gloria cer-
 tat. *Wittikindeæ* enim *Domus* Ortui & honori quis terminum
 figat? quæ diu, mundi ipsius propemodum excedens terminos,
 virtute ac rerum gestarum magnitudine, immortalem nominis
 famam protulit. Nonne maximi Orbis Europæi Monarchæ
 Genus suum ad hanc familiam, tanquam commune virtutis semina-
 rium, revocant? De antiquis Angliæ, Northumbriæ, Frisiæ ac
 Galliæ Dominatoribus res in propatulo est. Ex hoc virtutum fon-
 te sangvinem suam adhuc hodie haurire volunt invictissimi *Daniae*
Reges unâ cum *Ducibus Holsatiæ*, qui *Comites Oldenburgenses* ab eodem
Wittekindo Magno, Saxonum Patre, deflectere non sine ratione stu-
 dent. *Lüneburgensium Duces ac Palatini* unâ cum *Sveciæ Rege*
 quàm propinquâ Saxonum cognatione attingant, verissima etiam
 historia testatur. Nolo commemorare Sabaudia Ducem aliasq;
 complures illustres Familias, quæ insigniter sibi de eo gratulantur,
 quòd Saxonum Duces aliquo sangvinis gradu conjunctissimos ha-
 beant, qui nunc in tot Ramos excreverunt, ut *Serto Rutaceo* flores
 post hac deesse neutiquam possint. Ex potentissima hac Familia, tan-
 quam ex Aurora prima ortum traxit SOL noster *serenissimus*. Sed
 opus non est, ut in ejus *Parentum, Avorum, Majorumq; Divorum*
 laudes descendamus. Ut enim Sol per se fulget, & lucem non mu-
 tuat: ita serenissimum nostrum *Electorem* concipiamus, non stella-
 rum instar, mutuato eum lumine egere, sed nativò ita divinitus illu-
 strem splendore, ut longè lateq; sparsis radiis clarissima lux conspiciat-
 tur. Liceat modò aliquot serenissimarum virtutum radios, quibus
 cursum suum illustravit SOL noster, nominare. Nam omnes refer-
 re & debitis prosequi laudibus velle, idem foret, ac tentare Solis radi-
 os numerare, iisque affundere lumen. Proinde, ut dixi, aliquot saltem, &
 quidem quàm parcissimè, ne oris mei profanentur balburie, tangam.
 Præcipuus, quem videmus in Sole hoc serenissimo, Radius, sur-
 sum tendit, & constantem pro asserenda Doctrinæ cœlestis puritate
 Zelum exhibet. Et quis ignorat, *Electorem* nostrum *beatissimum*
 fuisse, ut Libertatis germanicæ strenuum, ita Religionis orthodoxæ re-
 ligiosum *Affertorem*. Quis non aspexit Principis hujus Magni Sym-
 bolum, in vexillo prorsus invictò, conspicuum, cujus sanctissima
 hæc sunt verba; JEHOVA VEXILLUM MEUM. O dignissimam
 tanto Principe Pietatis tesseram! Qui enim JEHOVAM vexillo
 insertum suspicit, contra JEHOVÆ hostes & impios veræ Religi-
 onis destructores constanter pugnare, quin constituerit, quis dubitet?
 Scitis, *Auditores*, quod, quoties *Heros* noster Saxonicus copias de-
 duceret auxiliares contra hostem, non rarò è castris fama ad nos
 redierit lætissima; Saxones primum fecisse impetum; Saxones
 hostium strenuè diremisse ordines; Saxones dexterrima sua virtute
 prohibuisse, ne hostis ulterius in viscera Germaniæ grassaretur.
 Unde hæc verò Saxonum felicitas? unde hi successus? Unde hæc
 heroica Virtus? Fuit sanè id Tuum beneficium, JEHOVA! Tu
 Principi, qui tuo auspicio atq; ductures suas gerebat, ejusq; mili-
 tibus fidissimis & arma, & animum, & ipsam cœlestis exercitûs
 multitudinem addideras; Tu vexillo splendidam impresseras felici-
 cita-

citatem, ut hostes vel ex hoc fulgure *Nominis Majestatem* exhorrescerent. Turcæ pudibundâ velut ignorantia tacti adhuc mirantur, quæ nam res fugæ tam ignominiosæ, in quam ad Viennam anno hujus Seculi octogesimo tertio ipsi effundebantur, causam dederit. Ast expectent extremum mundi judicium, & contremiscant ad divini *Nominis* magnitudinem: Tunc fatebuntur convicti, æterni tremoris jam adfuisse prægustum, ipsiusq; *Nominis* J E H O V Æ, radium consumfisse pugnaturientium animos.

Sed & Principis nostri virtus quantum in prosternendis hostibus profuerit, quis est, *Auditores*, qui ignoret? *Solem* enim illum *Saxonicum* ulterius intuentibus duo novi affulgent *Radii*, juvenilis *Fortitudinis* alter, alter *Prudentiæ* senilis. Hæc Heroi nostro suppeditavit consilia, illa exequendi robur præstitit. Hæc, ut *Fortitudinis* oculo, hostes quæ fabricarentur mala, prævidit, illâ, ut *Prudentiæ* manu, nè fabricata inferrentur damna, declinavit.

Hinc, quam comitem divinissimis istis virtutibus fecerunt Sapientes, Principem hunc etiam semper insequabatur *Fortuna*. Nolo Radiorum istorum operationes, hoc est, Acta *fortissimi* & *prudentissimi* nostri *Herois* bellica hic recensere, ne, quæ in publicis Historicorum monumentis ad feram usq; posteritatem transitura, leguntur, quæq; nunquam nisi immortalis gloriæ verbis, nominanda sunt, rudi meâ lingvâ profanentur. O si per virium mearum tenuitatem modò liceret reliquos *Solis* nostri *Saxonici* ad occasum jam festinantis *Radios* satis deprædicare! Ast cur, quæâ nemine præstari possunt, mihi expeto? Archimedes quidem tenui atq; fragili vitro, patentem illam ac undiq; diffusam, cœli machinam comprehendit; nostri verò *Saxonici Solis Radios*, hoc est, maximam *Laudum Electoris* nostri compagnem, intra suæ orationis terminos, complecti, non potest, nec audebit vel felicissimus Orator. Ac proinde incomparabilis nostri *Sideris Radios* reliquos religioso intuebimur silentio devotaq; admiratione.

Admiramur itaq; in eo Radium *Justitiæ*, quò, uti suo splendore aëra malignis vaporibus extergit *Sol*, orbis stelliferi ille moderator; sceleratos ita discussit *Sol* noster *Saxonicus*, ut ex malis bonos, ex bonis optimos sæpe redderet. Admiramur Radium *Clementiæ*, quò, *Solis* instar, qui omnium oculis indies expositus, herbarum florumq; vires reficit; *Electori* noster *Clementissimus* egenos & affictos fovit, seq; quærentibus omnibus dedit facilem. Admiramur Radium *Fidei*, radio *justitiæ* adjunctum, quò in affectatam verborum veritatem, in voce asseverationem, in vultu affirmationem, nec non mentis & lingvæ concordiam expressit Optimus *Princeps*. Admiramur Radium *Liberalitatis* & *Munificentie*, quò omnes ordines circa se profecutus, omnium quoq; sibi conciliavit amorem, omniaq; imperio suo digna. Admiramur Radium *Famæ* & *Autoritatis*, quem non tantum in domesticas & vicinas provincias, sed in remotissima etiam terræ loca diffudit, ut apud externos nobile JOHANNIS GEORGI III. nomen esset, & ingens *Virtutis, Laudis, Famæ* opinio. Ast ne intra hanc tot & tantorum Radiorum admirationem prorsus conticescam, ad alia me verto, visurus, quorum

sum se abdiderit *'SOL Saxoniae noster serenissimus.* Digrediebatur à nobis Optimus *Princeps,* mille votis & precibus nostris stipatus, & ab exercitu, populoq; à Gallis miserè afflicto anxie expectatus; festinabat aliis ferre auxilium, & Patriæ nostræ vigiliam commendabat supremo Principi, qui undiq; potentissimus unam domum Angelorum myriade, & ædificiorum myriadem unico Angelo custodire potest. Fama tandem afferebatur, esse jam *Electorem* nostrum in castris; *ipsum* nunc incepisse adversus Gallos ducere exercitum, & propellere hostium, pugnam heroicam detrectantium, copias; *Eum* quotidiè plus bonæ valetudinis assequi; lætari milites ad præliandum paratos, se recepisse suum *Ducem,* qui fortitudine & prudentia bellum gereret; gaudere omnes ad Rheni littora habitantes, quibus lateres à Gallico Pharaone hætenus quotidie fuerant multiplicati, venisse hunc *Mosen,* qui adjunctis aliorum *Heroum* armis, rapaces hostium copias fortiter esset rejecturus. Ast ô nunquam satis firmas atq; diurnas generis humani delicias! Lætiora enim dum sperabamus, tristiora sequebantur. Advolabat nuncium, langvere denuò *Serenissimum* nostrum *Electorem,* indies ipsius ingravescere morbum, jam vitam venire in dubium, nunc *augustissimam* suam efflasse *Animam.* Vos compello, ac obtestor, quicumq; adestis, publicâ voce edicite, quæ tenebræ *Solem* hunc ereptum, qui dolores atq; luctus insecuti sint *Serenissimi Principis* nostri mortem. Non enim intra *Augustissimam Domum,* luctus hujus cladis terminabatur; sed undiq; prorumpens, ita omnium animos percellerat, ut singuli privatum tam duræ sortis sensum experirentur. Audiisses hinc fortissimum *Principem,* inde benignissimum *Patrem;* hinc justitiæ acerrimum *Vindicem,* inde innocentiae *Protectorem,* acerbissime desiderari, & quantum quisq; posset, tantum hujus jacturæ damnum plorare. Istæ scilicet erant squalidæ luctus tenebræ, atq; aterrima caligo, quibus cum Sole, omne gaudium Ditionibus Saxonis eripiebatur. Ast quorsum ereptus *Sol noster Serenissimus?* Sanè eò momento, quò mortis nocte involvebatur, æterno cœli *Sole* collustratus puriore longè luce splendere in cœlis exorsus est. Terris verò, quibus ereptus *illustrissimus Splendor* videtur, ita nunc inoffenso radio affulget, ut Sole etiam felicior, neq; defectum, neq; noctis obscuraturæ successione metuat. Æternum enim devota memoria à Subditis suis coletur, qui Exuvias *Beatissimæ Animæ* dum heri *Freiberga* recondidit, conditorii instar animos suos ita pararunt, ut perpetua gratitudine Magni *Principis* sui asservent Virtutes, & iis, quocunq; fieri poterit modo, devotissimum deferant cultum; quiq; divinam implorant *Majestatem,* ut tristissimum Solis hujus occasum auspiciatissimo *Novi Solis* ortu & successione compenset. Et, quod pro viribus deprædicabit post me nunc disserturus Frater, compensavit jam jam illud Dominorum omnium supremus Arbiter, cujus infinita potestate Principatus atq; Dominia stant. Nos tandem, ut Beatissimi nostri *Electoris* honorem & in cœlis & in terris, serenissime relucentem adumbremus, *Solis* statuam ejus tumulo, h. e. animis nostris, imponimus, referentem hæc verba:

ÆTERNUM VIVIT JOHANNES GEORGIUS TERTIUS.

ORA.

ORATIO SECUNDA.

AUDITORES.



Antus omnium Rerum publicarum æterni Constitutoris & Conservatoris, DEI ter-optimi-maximi favor in Patriam nostram dilectissimam est, ut, cum dulcissimas ipsius *Delicias*, *Serenissimum* nempe & *potentissimum Principem ac Dominum, Dominum JOHANNEM GEORGIUM III. Ducem Saxonie, Juliaci, Clivia & Montium, item Angaria & Westphaliae, Sacri Romani Imperii Archi-Marschallum & Electorem, Landgravium Thuringiae, Marchionem Misniae, ut & superioris ac inferioris Lusatiae, Burggravium Magdeburgi, Principali Dignitate Comitem Hennebergicum, Comitem Marcae, Ravensbergi & Barby, Dominum Ravensteinii, Dominum ac Nutritium Munificentissimum, immaturâ, adeoq; nobis maximè acerbâ morte, è mortali hac statione evocare, & cœlestis Aulæ Proceribus jungere, ab æterno constituisset, tantæ Jaeturæ *Compensatorem* in tempore jubeat adesse. Ejus enim clementissimo favore post beatissimum Discessum Divi PATRIS, FILIUS gloriosissimo *Parentis, Avi & Proavi* nomine conspicuus, nobis conceditur *Dominus*. Habemus nunc & subjectissimæ Pietatis cultu veneramur *Serenissimum & potentissimum Principem ac Dominum, Dominum, JOHANNEM GEORGIUM IV. Ducem Saxonie, Juliaci, Clivia, & Montium &c. &c. &c.* Habemus novum, antiqvâ fide Patrem Patriæ, qui omnem publicæ felicitatis spem renovat, cuius vitâ, vigore, virtute, publica privataq; omnia nunc iterum vivunt, vigent, constant. Habemus reverâ, non ex Paganorum mente, sed DEI instituto, novum *TUTELAREM DEUM*, cujus Patrocinio muniti, periculorum expertes, lætè ac tranquillè agemus. Ortus est *SOL* lætitiæ novus, qui pristinâ luce ac claritate omnium mentes illustrat, & a terrimas luctûs tenebras atq; nubes pellendo, splendorem & gaudia reddit. O *NOVA LUX SALVE!* imò: *SALVE NOVUM COELI NOSTRIS AXONICI SIDUS! SALVE!* ac, quam ostendisti gentibus tuis, felicitatem, propitiis fatis, lætus atq; incolumis confirma!*

Te autem, Bonorum omnium *Autor*, Summe rerum *Arbiter*, & *Moderator*, *Te*, hoc quoq; nomine decet hymnus, & laudatio, & honor, & virtus, & gloria in nunquam terminandam seculorum perennitatem! *Tibi* adhuc curæ sumus, ac, ne ultimum rebus nostris exitium inducat orbitas & solitudo, providit patrius juvandisq; hominibus semper mirificus Tuus, *Clementissime DEUS, Affectus!* Tuum Munus est, Benigne hominum *Sospitator*, quò majus quid diviniusq; Patriæ nostræ contingere non potest. *Tu* felicitatem planè singularem, penè dixerim, extraordinariam Saxonis indulges Provinciis, ut annis abhinc octoginta, non nisi (*ô nunquam sine veneratione summâ Augustissima Nomina exprimate!*) *JOHANNES GEORGIOS*, amplexæ, nunc à *Quarto Tanti Nominis Principe* gravissimam publicæ Salutis curam suscipi, intelli-

D

telligant, firmissimâ spe erectæ, fore, ut JOHANNI GEORGIO QUARTO, PRIMI, SECUNDI & TERTII Prosperitas, triplici nunc augmento, incumbat, & quæ tam auspiciatissimâ JOHANN-GEORGIORUM Successione unicè nititur, inoffensâ felicitatis publicæ continuatione, dilectissima fruatur Patria. Atq; hæc dum ex me auditis, *Auditores*, ne utiqvam mirabimini, me, speciminis oratorii loco, quod à Studiis meis jam postulari posse videbatur, constituisse de hac ipsa AUSPICATISSIMA TANTI PRINCIPIS SUCCESSIONE aliquid in medium proferre. Cum enim Divinum illud Munus jam publicâ voce sic prædicetur, ut hoc argumento omnes & sacræ & profanæ ædes personent; cur non idem subjectissima mea observantia ELECTORALI huic SUPERIORITATI jamdudum debita, meditetur? Hinc, non tam gratulandi, (neq; enim id assequuntur meæ vires;) quàm dignam tanto *Principe* gratulationem offerri non posse, excusandi animo, locum hunc conscendi.

Solennis atq; statuta, in Perfide, Magorum consuetudo erat, ut primo semper diluculo Diis canerent, hymnosq; & laudes recitando, orientem Solem venerarentur. Ita illos, novam singulorum dierum confirmare felicitatem, superstitione docebat. Nos, quibus simplex purissimæ fidei candor affulsit, SOLEM nostræ jam *Patriæ orientem* non quidem divinâ & soli DEO, Justitiæ nostræ SOLI, debita devotione, licet Divinitatis quandam inter nos imaginem gerat optimus Princeps, subjectissimo tamen & religioso cultu excipientes, humillimè salutamus, & æternum Divinæ Gratiæ SOLEM, qui novo hoc benignitatis radio, tristibus rerum nostrarum nubilis pulsus, tam lætè, tam clarè illucere dignatus est, pro diuturnitate ac perennitate, hujus tanti Muneris quàm devotissimè veneramur.

Geminum autem, *Auditores*, Serenissimi nostri SOLIS *Ortum* plus quam geminâ mentis pietate prosequendum deprehendimus, *Naturalem* alterum, alterum *Civilem & politicum*. Oriebatur enim primùm & insveto gaudio desideratissimaq; felicitate Terras nostras illustrabat, cum ex auspiciatissimo Thalamo Serenissimi ac Potentissimi *Principis ac Domini, Domini JOHANNIS GEORGII TERTII & Serenissimæ Principis, ANNÆ SOPHILÆ, Potentissimi Regis Daniæ, FRIDERICI TERTII Filiæ; Fœminæ*, quæ Regiæ non magis splendore Majestatis, quàm pietatis cæterarumq; tanto Fastigio dignarum Virtutum clarissimis radiis Saxoniam nostram collustrat, & cui, ut aliis innumeris, sic hoc inprimis nomine, quod duobus Serenissimæ Domus Pignoribus, Filiis dilectissimis, populos suos beârit, æternùm benè sit! anno hujus seculi sexagesimo octavo, die decimo octavo Octobris proveniret.

Scitis, *Auditores*, quos plausus, quas gratulationes, quam benè precandi materiam felix ille annus & felicissimus ille mensis in *Serenissima ac Potentissima Saxonum Familia* excitaverit; Scitis, in quantum gaudium effusi subjectissimi fuerint Patriæ incolæ, qui concordi voce felicitatem ac incolumitatem NATO PRIN-

PRINCIPI, sibi constantem obsequii tenorem, precabantur. O largiatur, (vovebant singuli,) Clementissimus humani generis *Conditor*, ac *Parens*, ut *Sidus* illud *Saxonicae Domus* recens ortum, quod votis & suspiriis nostris, divinitus impetravimus, felicissimo cursu ad meridianam celsitudinem contendat! Largiatur, (instabant,) ut omnia consilia omnesque curae, quas *Magni Parentes* ad educationem *Principis sui Filii*, sanctè pieque adhibebunt, ad optatissimum provehantur eventum! Et vicit! vicit! *Auditores*, Caelum nostra pietas, vicit! atque nunc, quod anxiam votorum nuncupatione rogavit, tenet munus. Serenissimi enim PARENTES, cum optimè scirent, cui rei OPTIMUM FILIUM ipsa nascendi fors destinasset, tot scilicet hominum, terrarumque salutis, suo tempore dirigendae ac sustinendae, ne imparatus tantum munus aliquando accederet, quodcumque felicissimae, ac exactissimae Principum educationi servire poterat, solertissimam curam adhibuerunt. O felicissimam Curam! O divinum Consilium! Et DEUS, qui Serenissimis *Parentibus Prolem* hanc magnam ideo concesserat brachiis amplectendam paternis, ut Patria Patrem quendam, Augustum futurum, laeta possit amplecti, quantum virtute Educationi huic prudentissimae adfuerit, quis est, qui deprædicare queat fatis? Ego, qui intra juventutis annos adhuc versor, eò temeritatis nunquam prolabor, ut, quæ PRINCIPIS nostri floridæ Infantiae ac Pueritiae (si quis pueritiae in Heroica Indole locus est,) felicitas affulserit, & quantum EJUS in Educatione suam probaverit Bonitatem æterna *Majestas*, paupertinam jejuni oris mei eloquentiam exprimere coner, cui, nec capiendo animus ullus, nec exprimendo ulla sufficit lingua.

Ea igitur saltem, quæ omnium Sermone celebrantur, & quibus tanquam externis radiis, internus *Sideris* hujus *Saxonici* cursus, h. e. exactissima Principis nostri Educatio, consideranda exhibetur, hic parcissimè tangam. Quis ignorat, *Auditores*, ad omnem statim, Pietatis, Religionis & Honestatis cultum, tenellum adhuc animum, quod ipse composuerit optimè optimus *Princeps*? Quis ignorat, quo fervore ille Musarum Sacra ab ineunte ætate complexus sit, & quod, quam incredibili suo in Literas amore, jam dudum omnibus ingenuarum artium studia professis spem ostendit, illustri admodum nec laudando in omnem posteritatem fatis exemplo nunc tueatur? Et sanè non potuit nisi felicissimè prudentissima omnium studiorum succedere tractatio. Cujusvis enim *Doctrinae* socium habebat *Celsissimum Fratrem*, *Serenissimum Principem ac Dominum*, *Dominum FRIDERICUM AUGUSTUM*, ad summa omnia editum Principem, in quo, quantum *Saxonicae Domui Sidus* Divini Numinis Benignitas indulserit, fatis jam nostra non deprædicare potest Pietas. Nostis, *Auditores*, Serenissimorum istorum, Fratrum Animis adeò divinum mutuo amore se complectendi insidere Studium, ut de ipsis idem affirmari possit, quod Poëta de *Ernesto* Religioso, & *Alberto* Animoso, conjunctissimis Fratribus, *FridERICI II*, Filiis amatisimis, & *Linearum* duarum, *Electoralis* atque

atq; Ducalis Conditoribus cecinit versu pro seculi elegantia
adornato:

*Præbet fraternus Amor Exemplum Pietatis,
Qua magis esse nequit Principe digna pio.*

O fervet Deus arctissimum hoc, quo *Serenissimorum Fratrum* deligantur Mentis, Amoris vinculum! Servet illud, precamur, ut, quo pluribus constringitur nodis, eò strictius Salutis publicæ colligetur Status! Et servabit illud, ad preces nostras pro suo in *Saxonicam Domum* amore paterno optimus ille & omnis sinceri fraterniq; Amoris Sanctissimus *Autor*; servabit, inquam, quemadmodum Serenissimo huic *Fratrum Pari* propensissimum inesse voluit Affectum in elegantiores literas, quas honestissimâ æmulatione, ac Studio prorsus inusitato, Heroicâq; Indole dignissimo sub moderamine *Generosissimi & incomparabilis Knochii* hætenus coluerunt, & adhuc colunt. O quantum est beneficium, quod **V O B I S, S E R E N I S S I M I P R I N C I P E S** nunc debere se confitetur omnis & imprimis Generosa Juventus. Vestro enim illustri exemplo ad excolenda diligentius literarum Studia egregiè excitatis omnes, qui modò secum reputant, ad gratiam tantorum *Principum* adspirare posse neminem, nisi qui virtutem æmulatus vestram, Literarum antè Studiis ingenium expoliverit; quamq; alienum à decoro sit futurum, si exquisitæ Eruditionis Principes circumstant ministri literarum omnium expertes. O gaudete, gaudete, Vos *Musæ* & omne magnificentum pollicemini Vobis! Quid enim vobis gloriosius tanto *Principum* favore, quo se vestri Cultores publico teste fatentur? Sic fanè ad invidiam usq; efflorescere poteritis; sic vos, non minùs quam in imis telluris recessibus aurum, gemmas & pretiosa quæq; benigno influxu Solis, magnis sumtibus & provida curâ Potentissimi *Patriæ Patris* & Eruditissimi *Principis* animatum, erectum, nutritum iri, quis est, qui non speret?

Ast quid subtimeatis, Vos *Musæ*? Martem, dicitis, spirare incipiunt *Nostri Principes*, bellandi cupiditate nunc ardent, & dici non potest, quanta ipsis, ad scientiam rei militaris ex ipso usu hauriendam, sit propensio. Hinc sepositis *Aulæ Patriæq;* deliciis in campo pulverem, solem, pluvias hostilesq; globos ferre & variis vitæ periculis sese exponere non recusarunt hætenus, nec impostiterum recusabunt Pretiosissimi isti *Principes*, quos tamen in nostri ornamentum, delicias & præsidium unice natos esse credideramus. Sed acquiescite, Vos *Musæ*, vanus est vester metus, abjicite eum. Servarunt vobis animum Serenissimi *Principes*, servant & servabunt eum, dum vivent. Ideò enim coluerunt Artes, ut belli aliquando felicius perferre

ferre possint molestias; & ideò eas nunc perferunt, ut semper
continuare & eò melius tueri artium qveant culturam. Pro-

inde gaudete, & novum *Tutelarem* ac *Nutritium* vestrum mille
votis excipite, *Salutate* decenter *Solem*, qui in *Polo Saxoni-*

co jam novâ splendoris accessione collustratus denuò oritur, &
ortu suo Politico ac *Civili* mentes subjectissimorum Subditorum
tranquillat. *Salutate Solem* hunc novum & pristinum il-

libatum ejus Gratiaè splendorem vobis promittite. Sol,

mundi ille oculus, quoties oritur, aves facit cantare. Nos,

Auditores, sub ortum *Saxonici* nostri *Solis* clarius sanè subjectissi-
mæ nostræ Pietatis documentum exhibere non possumus, quàm
ut cantando, & laudando internam animi lætitiã exponamus.

Et quidni lætentur omnes, cum à tam benigno Serenissimi hu-
jus *SOLIS* ortu & influxu publica omnium dependeat felici-
tas? Profectò tot & tantas lætandi causas jam dudum Provin-
ciis istis peperit *Saxonicum* illud *Sidus*, ut nunc merito saluari
possit *Sol lætitiæ*.

Quantum lætabamur, cum *Principem*
hunc Serenissimum, confecto molestiarum periculorumq; per
Germaniam, Galliam, Angliam, plenissimo itinere Patriæ sal-
vum ac incolumem, & annis majorem, & magnæ prudentiæ
atq; invictæ virtutis florentem laude, Divini Numinis Gratia
redderet.

Quantum lætabamur, cum certo nuncio co-
gnosceremus, Serenissimo *Electo* *Saxonici* *Heredi*, JOHAN-
NI GEORGIO IV. Domino nostro Clementissimo *Regiam Vir-*
ginem SOPHIAM HEDWIGEM, Potentissimi Danorum
Norvagorumq; Monarchæ, CHRISTIANI V. Filiam felicissi-
mis auspiciis desponsatam esse. Cum enim priora Augustas

inter Gentes hæc, inter AUGUSTUM nimirum & ANNAM, inter
CHRISTIANUM & HEDWIGEM, inter JOHANNEM GEORGIUM III.
& ANNAM SOPHIAM Connubia tam fortunata terris his ac-
ciderint: quidni fausta quæq; & aurei cujusdam seculi felicitatem
Ditionibus nostris ominemur ex novo inter JOHANNEM GEORGIUM
IV. & SOPHIAM HEDWIGEM, conjugali fœdere? Quantum læta-
bamur, quoties è Castris, periculo haud levi, quod metuendum
utiq; ab hoste erat, non per insidias minùs agere; quàm aperto
Marte grassari sveto, expositis, salvus & incolumis ad nos redi-
ret Optimus Princeps, Sed quid ago? quorsum hæc dico?

ostendam videlicet, felicissimum hætenus votis & precibus nostris
respondisse eventum, ut nunc eò fidentiori animo nova vovea-
mus, & precemur.

Fac itaq; O Clementissime Deus, ut hæc nobis omnibus,
gaudia certa sint & perpetua, nec ullius calamitatis un-
quam turbentur interventu! Commoda, quem jam,
constituisti, diu Terris Serenissimum Electorem, & largire,
ut, quamdiu mortalis erit, nihil ex Augustissima sua Domo,

E

post

“ postbac mortale esse sentiat ! Armata[m] semper habeat ma-
“ num , sic tamen , ut ipso ferro misceatur pacata ramus
“ oliva ! Tu Principem hunc , Virtutum omnium ac doctrine
“ ornamentis egregie instructum , jam in Divorum *Majo-*
“ rum Heroicum in Republica & Ecclesia propugnanda vigo-
“ rem succedere jussisti , fac , ut Majorum quoq[ue] ipsi constanter
“ affulgeat Prosperitas ! Fac , ut , quæ tam auspiciatò coalue-
“ runt Sponsalia , ex voto consummentur , & ex sancto hoc ge-
“ niali thoro aliquando succrescant Electoralis Domus Saxoni-
“ ca nova subinde fulcra atq[ue] munimenta , nova semper in Po-
“ lo Saxonico conspiciantur *SIDERA!* In quo voto finio , ac
confirmando ei nil , nisi illud addo :

SIT FELIX SIT POTENS
JOHANNES GEORGIUS QUARTUS!



Ad illustres Patronos.

ALLOQUIUM.

Nolite petentibus liberale denegare Subsidium,
Patroni Optimi;

Clientes enim Vestri, WARNSDORFII,
neq; Vobis Obsequium, neq; Patriæ suæ Spem bonam, denegant.

Inveneritis utiq; hodiè paucos,
qvi cum Natalium splendore, utriusq; Virtutis dignitatem
conjungant:

Nostri reverà conjungunt.

Qvòd enim maturè perceperunt,
È Pietatis veræ, Eruditionis prudentioris & Morum probatorum
jugi culturâ

Felicitem, Divitias, Existimationem, resultare solidam,
DEO primum, Libris secundum, Virtuti tertium,
hactenus tribuerunt.

Spes insuper haut vana est, fore,
ut, cum hactenus alios, sui similes, in posterum quoq; seipfos,
antegrediantur.

Qvi enim, fundamentis ritè locatis, ad majora animũ nunc applicant,
Vitæ, non Scholæ, student,

In stylo, Eloquentiâ, Discursu, Disciplinis, Moribus, aliis,
pro eo, ac par est,

Genio Seculi se accommodantes.

Exhibete itaq; qvæso, Nobilis, Warnsdorfis jam Beneficia,
qvi de eorundem juvenilibus cœptis pergrata Vobis pollicemini
Merita.

*Quicquid Auxiliorum in Juvenes bonos confertur,
id olim aliquando virilibus rependitur Consiliis.*

* * *

Ita benè ominatur,
& cum Observantiâ intercedit

M. G. Wendius.

E 2

Satis

FK 9/5240

Satis commendatus est,
qui *Principum* Laudes refert.
Ipsam *Thema* commendat Oratorem.

Est magnificentum;

Hinc in Oratore probat *Ingenii Gravitatem*:
Nihil enim splendidius est, quam de Principe, bene loqui.

Est utile;

Hinc in Oratore commendat *Animi Probitatem*:
Patriæ enim inservit, ejus qui Patrem veneratur.

Est gratum;

Hinc in Oratore demonstrat *Judicii Prudentiam*:
Omnes enim Subditi Principis sui delectantur elogio.

Gaudete itaq;

GENEROSI JUVENES!

Rem fecistis

Patriæ **PATRIBUS** debitam,

Populo gratam,

Vobis decoram.

Hinc

Satis commendati estis,

dum Vestri vos ipsi fecistis commendatores.

Pollicemini nunc Vobis

PATRONORUM Gratiam certiolem,

nam magnam Vestri expectationem concitastis;

PRÆCEPTORUM Industriam lætiorlem,

nam optimè collocatum iri labores, publicè probastis;

COMMILITONUM Amorem constantiorlem,

nam laudabile Singulis exemplum præbuitis.

De triplici hoc

Spei & Felicitatis Vestrae

argumento

gratulatur Vobis

M. Godofr. Hoffmannus

Sub-Rector.



nc

i.

neq

H. P. H.

E.

H. G.

Q.

i.

H.

de lyp

ULB Halle 3
004 820 72X



WAP





umbrâ Senum interdum ampliora expectanda esse, quàm â gladio Juvenum, non raro præ Rege multarum rerum usu exercitato Regem jejunum eligunt. Persuasi, Statum Reipublicæ præsentem semper molestum esse, & Regem anhelant. Ignarum præferendum esse numero truculentum; nec universi singuli Juvenes Senes â prudentiâ Juvenibus prudentibus tamen cuncti juvenibus pasim hi illis cedebat? Vulgus non, aut fieri conveniat, ut scribit alicubi Erasmi tunc juventæ gratia exhibet Terrarum quando præ Cinnâ certum temporis spectabatur. Quamvis insignium facinororum â cunctis ferè Romanum autem ingratum bat dignitas, occidere necesse habet.

Apud nos iustitiam servamus. Nobis nobis revocari Cultum Hyperionis, Phœbæ pridem ejuramus. Justitiæ, non Firmi Observamus utrumque superius Parcemiæ tione in utraq; Horatiana Bona, ut patribus nobis pollicemur. **LEM, Serenissimum Dominum, JOH. Cæsarem & Montium, item Marschallum & Electorem** **ENTEM SOLEM** & **Dominum Dominum Dignitatis & Felicitatis nostrum longè clementer Cultu excipimus.**

veneramur Orientem, quia innumerate decerevit. veneramur Serenissimum PATREM, gloriosæ memoriæ, quia insignia prorsus Patriæ suæ exhibuit Merita: Veneramur Serenissimum FILIUM qui



Esopi effatum) improvidis sæpe-nt. Non ne; nec universi sua quandoq; & nimi. Quasi nosi essent, ita Quis prohiberi in præsens fiat ea cuius homini, atq; advenerit, rei pasim ex- In delitiis ali- J. Cæsar; sed ad occidens negli- norum decorem atis instar Solis atur: quamprimo quoq; exolesce- palmam porri- luditur. s, utrumq; ob- quoq; SOLIS â ita Delii quoq; lololatriam jam- Solem ipsum; ietate colimus. erali, allegatæ em civili adora- Qui & præ- ara quoq; indu- in Saxoniam SO- em ac Dominum e, Juliaci, Clivia i. Imperii Archi- n ipsi jam ORI- inum Principem dem illustrissimæ em ac Dominum otest, humillimo lluminavit; ve- veneramur Sere- nissimum PATREM, gloriosæ memoriæ, quia insignia prorsus Patriæ suæ exhibuit Merita: Veneramur Serenissimum FILIUM qui

